

Cap. 28 [De transitu beati Conradi ad vitam aeternam]

Transivit ergo ex huius mundi naufragio heres caeli Conradus anno domini millesimo ducentesimo septuagesimo et sepultus est in die inventionis sancti protomartyris Stephani¹⁷. Beato autem viro migrante a seculo spiritus ille sacer domum aeternitatis ingreditur et de fonte vitae plenarium haustum sumens gloriosus efficitur. Pretiosus thesaurus corporis eius in capella beati Martini¹⁸ iacet conditus. Iste enim locus est, quem ipse primo ecclesiae nostrae in possessionem contulit. Deinde ibi postea saepius oravit devote ac postremo ibidem locum quietis accepit. Fratres autem monasterii horam transitus eius divinis laudibus dedicaverunt et exequias eius devotissime celebraverunt. Nec defuit ibi balsaminus odor omni thymiamatis confectione fragrantior¹. Nonnulli fratrum de ablatione tam pii patris lacrimabantur, alii autem gloria eius laetantes congratulabantur, praesertim cum terris ereptus translatusque ad patriam potentior factus esset ad salutare praesidium universis impetrandum. Confestim vir iste beatus sicut in vita claruit virtutum signis apostolice, sic a die transitus sui usque ad praesens miraculorum prodigiis coruscat mirifice. Gloriosa etiam miracula et larga beneficia per ipsum impetrata plurimos ad devotionem et amorem Christi accendunt et ad visitandum sepulcrum ipsius incitant.

Cap. 29 [De curatione Henrici landgravii]

Henricus¹⁹ landgravius, terrae Hassiae dominus, nepos beatae Elisabethae, vir stirpis regiae tam erat virtutum praeconiis egregius quam corporalis decoris elegantia venerandus. Hic iacebat usque adeo paralysi dissolutus, ut reliquorum membrorum officio destitutus in solo pectore vitalis spiritus palpitare videretur. Non potuit manum movere nec pedem, sed iacebat immobilis et imbecellis. In hac passione ad divinum duntaxat confugit auxilium exorans dominum humiliter, ut per merita servi sui Conradi pristinam redderet sanitatem. Oravit igitur et votum vovit et finis orandi fuit finis dolendi et virtus vovendi princi-

1) fragrantior W₁.

17) August 3.

18) Die Martinskapelle und Konrads Grab sind 1402, 1403 und 1417 in Meßstiftungen bezeugt. Vgl. UB Haina 2 (wie S. 20 Anm. 20) Nrr: 877, 878, 911. Die wohl 1675 abgerissene Kapelle wird am östlichen Querhaus der Klosterkirche vermutet. Vgl. Die Zisterzienser (wie S. 22 Anm. 35) S. 184.

19) Landgraf Heinrich I. von Hessen 1244-1308, Enkel der hl. Elisabeth von Thüringen 1207-1231.